

nec ecclesiae se esse filium et a dominici corporis esse communione suspensum. quam ordinationem meam ne quis sibi incognitam diceret, in omnium volo propter futurum dei nostri iudicium pervenire notitiam, qui et hanc voluntatem meam et domnis et filiis nostris regnantibus indicavi. quam etiam recognovi.

et manu Felicis papae:

30

Recognovi.

Hoc per omnes propositum est titulos Romanos iubente papa bonae memoriae Felice.

Atque senatus talia proposuit.

Senatus amplissimus presbyteris, diaconis et universo clero. 35

In sanctitatis vestrae notitiam duximus perferendum senatum amplissimum decrevisse, ut, quicumque vivo papa de alterius ordinatione tractaverit vel quicquam acceperit tractantique consenserit, facultatis suae medietate multetur fisci viribus applicanda. is vero qui tam inprobum ambitum fuerit habuisse convictus, bonis omnibus amissis in exilio se noverit esse pellendum. atque ideo his agnitis ab omni inhibito studio vos convenit amoveri.

Explicit contestatio senatus.

Incipit libellus, quem dederunt presbyteri LX post mortem Dioscori Bonifatio papae. 45

Non est dubium, beatissime papa, quod a primo homine peccet humanitas. hinc est quod excessum correctione praevenire desiderans, ne obstinatum mors secunda detineat, errorem meum hac cupio satisfactione corrigere. ob quam rem anathematizans Dioscorum persuasorem, qui contra constitutum decessoris vestri beatae recordationis papae Felicis ad episcopatum Romanae adspiravit ecclesiae, promittens me sub divini testificatione iudicii numquam similia temptaturum. quod si aliquando similia temptavero in ea causa, in qua veniam ab apostolatu vestro merui, tunc ecclesiasticae subiaceam ultioni. quam libelli mei seriem Redempto notario ecclesiae Romanae scribendam dictavi, cuique propria manu subscripsi et beatitudini vestrae, Bonifati papa venerabilis, et sub praesentia sacerdotum optuli sub die VI. kl. Ian. FFLI. Lampadio et Oreste v̄v. cc. consulibus. 55 60

26 futurum] *Amelli*: futuram. 27 quia et — hanc] *Amelli*: hinc.
33 papa *b̄m* felicem. 35 pr. et diac. *Amelli*. 38 *man erwartet* acceperit a tractante tractantique. 39 medietatem mult. f. v. applicandam his. 40 ambitum] *Amelli*: ambitum. — hab. fuer. *Amelli*.
50 hac] *Amelli*: haec. 53 promittens me s. d. t. i. n. m. s. temptaturum *Amelli*. 56 *epostulatu*. 57 quam] *Amelli*: quando. 58 beatitudine in beatitudini *geändert* — bonifacii.